Lane Medical Library

# PHLEBITIS.

---

## DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM SCRIPSIT

DOCTOR MED. JACOB LODTER,
AUGUSTAE VINDELICORUM NATUS.

Würzburg

WIRCEBURGI,
TVPIS CAROLI GUILELMI BECKER,
UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.
1832.

Phlebitidem — venarum inflammationem magis peripericarum — quam in nosocomio Augustano pluries vidi, ipse tractavi, qualemque esse equidem puto, hic describo. Etsi interdum erraverim nec eruditorum adsensum mihi adjungere potuerim, in hoc me excuso: quod neminis auctoritatem secutus, ipse disserere conatus sim.

# SYMPTOMATA.

Quae nobis sedes morbi, et quae organismi vel reactio vel sympathia offerunt, considerare possumus.

a) Symptomata sedis morbi-topica. —

Dolores vehementer ardentes, pungentesque ardentes, si causa morbum coexcitans mechanica fuerat, in loco excitationis, si fuerat dynamica pluribus ad decursum venae locis, sensu percipiuntur, venaque rubore fusco obducitur, quo colore, nisi profunde sita, per cutim tegentem illam, perlucet, quae simul tumescit et ab attactu minimo maximis afficitur doloribus. Extremitates, quae venam, inflammatione affectam, involvunt, moveri absque doloribus vehementissimis non possunt. In summo praecipue inflammationis stadio, undulatio

venae, non ad normam pulsatio nominata, animadverti, systole vero et diastole, uti in cordis arteriarumque motu invenimus, certe accipi non potest. —

b) Symptomata, ex reactione organismi ejusque sympathia. —

Phlebitidem, si quodam modo est momenti et extensionis, febris subsequitur, quae, neque pure inflammatorii, neque pure torpidi generis, forma se ostendit, ut in omnibus morbis, systemate venoso affecto exortis, apparet. Frigore forti idque sequente calore incipit febris, lassitudo magna per totum corpus fusa, lingua muco subalbo tecta, sitis vehemens, appetitus penitus prostratus, secretio cutis repressa, alvus modo adstricta, modo profuse fluens, urina pauca, attamen valde varians, nec magni indicii. — Magnis haud longe a corde remotis venarum ramis inflammatis symptoma, quod fortasse nunquam desideratur, notatu dignum habeo adnumeratumque esse velim: partem nempe cordis dextram in morbi circulum ductam. In aliqua occipitis regione incipit cum tensionis et ponderis sensu dolor, inquies et anxietas, angustia pectoris vel animi deliquia, vehementissimi cordis palpitationes oriuntur, perturbationes sensuum, vertigo susurrus aurium, etpernervi vagi ramos syringes pulmonesque irritatione afficiuntur, tussis enascitur. —

Cordis partem esse dextram ad morbi sphaeram adductam, variis niti potest causis. —

Prima naturaeque maxime conveniens causa est, quod inflammatio a locis vicinis se extendat ad cordem, nam semper prorsum, non retrorsum inflammatio decurrere videtur. — Secernit porro membrana venae inflammatae interna lympham plasticam sic dictam, quae ipsa ad cordis partem dextram venit, ibique phaenomena parit, quae semper conspiciuntur, si corpora organismo aliena, per venas injecta, sanguinis circulationi admiscerentur. Denique vero vena inflammata, absque dubio nunc aegra, sanguinem, ad naturae normam commixtam, tam diu illam perfluat, disturbare potest, sanguis hoc modo immutatus, ad cordis atrium dextrum, ut anatomia nos docet, advenit. Quo majorem habet extensionem phlebitis, quo propius cordi sita est vena inflammata, eo majores, perturbationes exinde ortae, fieri debent. In omni quidem morbo sanguis non amplius ad naturae normam, sed innormaliter mixtus est, attamen vero non ubique demonstrare possumus, quali modo, sanguinis mixtio, turbata sit. —

In vena inflnmmata, uti iu omnibus inflammatione affectis organis, nova expergiscitur vita, augetur actio ejus vitalis; illa vero actio non est physiologica, ad vitam sanam conservandam strenua est actio, ut ita dicam, in usum ipsius. Turgore

vitali aucto, condensantur membranae venae, ejusque lumen angustatur, quo modo sanguinis circulatio inhibetur, denique penitns opprimitur, et vena, lympha secreta plastica, obliteratione clauditur. Nulla vero hujus impedimenti circulationis mechanici ratione habita, jam ob venae inflammationem, inter motum sanguinis et inter venae actionem, hunc motum sublevantem, magna fit dysharmonia. —

Hisce, ab initio saepe inflammationis circulationi momentis impedimentum ponentibus, ad plura corporis organa congestiones evadi necesse est, quas, nisi per anastomoses brevi tempore deriventur, phaenomena sequuntur, quae phlebitidi symptomata inconstantia quidem adtribuuntur, formas vero praesentant, quibuscum facillime aliqui morbi confundi possint. —

## DIAGNOSIS.

Phlebitis, in primis venae jugularis inflammatio, eaque recursus sanguinis a capite impeditus plethoram cerebralem efficere potest ejusmodi, ut typhi cerebralis primum stadium, aut encephalitidem incipientem videre putemus. In utraque vero morbi forma symptomata et topica et febrilia longe sunt alia, praecipue in typho cerebrali magis in capite consociata vel concentrata sunt,

dum in phlebitide anxietas et compressio in scrobiculo cordis, tussis pluraque alia symptomata in cavo thoracis adsunt.

Sed non solum in venae jugularis sed etiam in venarum inflammatione extremitatum illa typhi symptomata sonspiciuntur, causa, quam paulo ante designavimus. — Si morbus noster cum inflammatione nervorum (neuritide peripherica) aut vasorum lymphaticorum confunderetur, et anatomia quoad decursum venarum et nervorum et morbi generis et symptomata in cavo thoracis diagnosis certam reddere possent. —

## AETIOLOGIA.

Ad phlebitidem conformandam praedispositio naturalis, ut equidem puto, haud magni est momenti, majoris vero incitamenta externa; imo praedispositio illa in uno eodemque homine diversa est. Vidi post venaesectionem basilicae inflammationem dextrae, et paulo post in altero brachio venaesectio instituta, inflammationem efficere non poterat. —

Incitamenta, extra organismum, nocentia.

a) Incisiones, ictus, uti in venaesectionibus amputationibusque, compressio diuturna uti in subligationibus fiunt.

b) Refrigeratione et permadefactione facile phlebitis extremitatum inferiorum oritur.

c) Constitutio aëris et coeli quaedam; haec inprimis morbum nostrum coexcitare potest, et hoc constat:

Barometri hydrargyrum non multos attingit scalae gradus, tempestas est fervida multisque vaporibus gravida, tonitralis, et electricitas ejus valde imminuta. Ventus aut Auster aut Euronotus. Ejusmodi constitutiones temperaturae coeli et aëris vitam actionemqne venarum augent, et quo majori gradu res illae nocentes accedunt et organismum afficiunt, eo citior enascitur phlebitis.—

## PROGRESSUS INFLAMMATIONIS.

Inflammatio, seu uno loco seu pluribus venae locis simul orta sit, semper a peripheria ad centrum, nunquam retrorsum, cursum tenet. Retrorsum per anastomoses quidem, in modum arteriarum seu vasorum recurrentium, se movet, aut si loci, in latere et infra inflammati, adpropinguant et hoc modo diffluunt aut confluunt.

Interea locus, quo vena aegra in venam sanam transit — ramus venarum novus — finis terminusque esse videtur inflammationis progressioni. Vidi in sectione cadaveris, venam basilicam brachii dextri usque ad os venae axillaris suppuratam, ne

vero lineam quidem venae axillaris in pus versam, neque inflammationis ejus vestigium inveni. Etiam cutis prope sita inflammatione affici potest. —

## COMBINATIO.

Phlebitis nondum toties mihi obvenerat, ut legem de combinatione scribere possem, attamen:

a) Amicam quasi phlebitidem nonnullis morbi generibus vidi. Ad phlebitidem icterus cum affectione hepetis inflammatoria accesserat, neque illa icterum et hepatitidem, neque icterus et hepatitis illam injuria afficiebant, unusquisque morbus secure exitum attingebat et finem suam.

b) Inimicam etiam vidi phlebitidem morbi cuidam generi. Ad phlebitidem extremitatis dextrae inferioris erysipelas venerat; inflammatio brevi modo tempore integritatem suam obtinere poterat, erysipelas vero impune loco suo manebat, finemque desquamatione attingebat. Phlebitidem cum erysipelate conjunctam, ejusque naturam firmam et quasi fixam modo mutatam et phlebitidem erysipelaceam formatam fuisse, concedere non possum. Phlebitis non amplius conspiciebatur.

## EXITUS.

a) In sanitatem.

Discedunt symptomata; ut in omni inflammatione, quoque momento fieri potest, plerumque tamen a die septimo ad nonum, crisibus universalibus per cutim et urinam, sudores et sedimentum urina depositum, sequuntur. —

b) In exsudationem lymphae plasticae.

Hic exitus in venarum vulneribus crebro et cito conspicitur. Tantum absum, ut quodque venae vulnus inflammationem esse putem, ut potius de actione vitali topice aucta dicam, qua subito materia, cicatrisationi, saepe jam post horas viginti quatuor peractae, inserviens, secernatur; hoc exitu, venae lumen clauditur.

c) In suppurationem.

Duae res hic notandae sunt.

1) Pluribus venae locis, in distantia pollicari doloribus valde pulsantibus, abscessus oriuntur pisiformes, majores majoresque, peripheriam trahentes nucis Avellanae, illi, aut vi naturae, aut artificialiter maturefacti, aperiuntur, massamque purulentam et cruore tinctam effundnnt.

Raro fieri solet, ut abscessus singuli consanescant; plerumque vero confluunt iisque ulcera serpentia, cruenta, quasi scorbutica, et fistulae variae formantur. Semper nonnulli, interdiu omnes abs-

cessus, fistula una inter se juncti sunt. Fistula haec non est alia, quam vena prius inflammata nunc suppurata, qnae formatione abscessuum plures obtinuerat hiatus. —

2) Si phlebitis vulneratione coexcitata fuerat, abscessus illi saepius non inveniuntur; an propter orificium vulneris, an quia causa morbi mechanica fuerat, definire nondum audeo. Inflammatione, ad suppurationem transgressa, pus vulneris orificio effluit, et hoc non bene dilatato purique impedimentum posito, fistulae formantur externae.

d) in mortem. Variis causis.

α) Sanguinis circulatio, durante adhuc inflammatione magnisque vasorum affectis ramis, impeditur, congestiones, plethora topica et compressio cerebri ex gr. in venae jugularis inflammatione, exori possunt. —

β) Si inflammatio usque ad cor venerat et carditidem commovet.

Exitus etiam inflammationis, vitae finem ponere possunt; exsudatio lymphae plasticae et suppuratio; illa ad cor dextrum pervenit; in suppuratione abscessus illi ulcera formant, ulcera non consanescunt, sed majorem majoremque occupant circuitum et cum suppuratione vires vitamque febri hectica, consumere possunt. —

Obliteratione etiam magni venarum rami et ad

vitam necessarii, ex gr. si vena cava inflammata hunc exitum inisset, vita privari possemus. —

## PROGNOSIS.

Omnino magis fausta quam infausta; formanda est atque dependet:

a) Loco inflammationis. Quo remotior vena inflammata a centro jacet, quo minoris est momenti circulationi, quo facilius altera vena functionem ejus suscipere potest, eo faustior est prognosis.

b) Extensione inflammationis, quo propior cordi, eo periculosior.

c) Exitu inflammationis. Exsudatio lymphae minus faustam reddit prognosin, quam suppuratio quae citius et facilius viam rumpit externam.

d) Ulcera magna non absolute quidem lethifera, sed aegre sanantur.

e) Quo clarior inflammatio, nec aliis conjunta est morbis, eo faustior erit prognosis, excepta cum erysipelate conjunctione, quod phlebitidem exstinguere potest. (Vide supra.)

## THERAPIA.

Pro gradu et sede inflammationis rebusque secundariis varia, primo tamen semper antiphlogistica est cura. —

Ad decursum venae inflammatae nonnullos ponimus hirudines, fomentationes frigidas cum aqua fontanea aut saturnina, ex aqua fontanea et aceto lithargyri parata, facimus, ad usum vero internum decoctum radicis altheae cum nitro et liquore Mindereri porrigimus; mane et vespere unguenti hydrargyri cinerei scrupulum, venae inflammatae regioni, inungimus. Alvo adstricta vespere Calomelanos granum unum sumitur. Diaetam bene ordinatam et antiphlogisticam, aquam cum sacharo et cremore tartari, emulsionem amygdalarum dulcium, aquamque limonatam pro potu praescribimus. Si hoc modo inflammationi finem ponere non possumus, augetur illa et cor affici tur, aut plethora cerebralis periculum ferre videtur, absque dubio venam secamus et magnam sanguinis quantitatem corpori detrahimus. Etsi venaesectione nova timenda esset phlebitis, maxime rebus caeteris infiammationi faustis (vide Aetiologiam), certe venae ut ita dicam superficialis inflammatio minoris est momenti, quam carditis aut plethora cerebralis quasi relicta et neglecta. — Cura nunc est, quae in carditide acuta. —

Si postea phaenomena, supra adnumerata, phle-

bitidi propria nervosis vero similia, apparent, maximo cum emolumento infusum radicis valerianae silvestris cum amonio acetico datur, remedium vim nervosam augens simulque crises somaticas excitans et sublevans. —

Erysipelas, quod ad phlebitidem accesserat, efficit, ut cura topica non pari modo adhibeatur, sanguinem quidem primo per hirudines detrahere et frictiones. cum unguento hydrargyri cinerei instituere possumus, sed fomentationes frigidae minime adhiberi possunt, earumque loco epithemata sicca florum sambuci et chamomillae partibus aequalibus oppleta, facimus, in usum autem internum pulpam tamarindorum, aqua florum sambuci solutam et vini stibiati et extracti graminis aliqua parte commixtam, porrigimus, alias complicationes gastricas emeticis aut laxantibus removemus. Qua ratione si inflammatio non resolvitur et exitus, quos supra designavimus, sequuntur, non, nisi suppurationis phaenomena secure sanari possunt. Lymphae plasticae exsudatae cura magis palliativa variisque rebus secundariis varia. —

Cum abscessus formari incipiunt, cataplasmata humida et tepefacta herbarum emollientium, seminum lini et hujusmodi, iis imponimus, ut maturemus; nonnunquam propter magnos dolores hirudines et cataplasmata herbarum narcoticarum ex.

gratia hyoscyami, imponere necesse est. — Fluctuatione in abscessu luculente animadversa, oncotomiam instituimus usumque cataplasmatorum persequimur. Fistula, vel cavum, quo omnes saepe abscessus inter se junguntur (vide exitum morbi) sanationi maximo est impedimento; organum factum est secretioni puris irserviens; propter puris effluvium orifica abscessuum claudi non possunt, clausaque perforat exitum quaerens novaeque fistulae formantur. Usu strenuo cataplasmatorum, injectionibus infusi florum chamomillae aut decocti corticis quercus floribus chamomillae sub finem coctionis infusis, et ejusmodi remediis, primo sanationem efficere tentamus, attamen plerumque operae nostrae pretium non adtribuitur, — frustra egimus. Nil restat nisi cultro fistulam totam perscindamus ut perpetuo usu cataplasmatorum ex fundo vulneris granulatio incipere et pus nusquam retineri possit. Vulnus cum unguento miti ex gr. cerato simplici tegitur. —

Majoribus quidem doloribus afficimus aegrum, sed tutius ad finem pervenimus, si fistulam ligatura constringimus. Agitur hac ratione: Specillum, in parte extrema foramine instructum, per quod ligatura satis longa inducitur, per venam excavatam movemus, ligatura nunc in cavo adeo constringitur, ut in utroque venae orificio quidquam incidat; post viginti quatuor, aut quadraginta horas ligatura itrum constringitur, et sic porro, usque fistula peni-

tus sit perscisa. Vulnus linamentis unguento cerato obductis, tegitur. —

Si ex vulnere ut nonnunquam fieri solet, ulcera oriuntur impura, putrida cruenta, haec unguento digestivo cui oxydi hxdrargyri rubri grana quaedam admixta sunt, optime sanantur.